

**Dissertatio medica de lumbagine rheumatica ... / subjiciet Georgius
Philippus Nenter.**

Contributors

Nenter, Georg Philipp, -1721.
Scheid, Johannes Valentin, 1651-1731.

Publication/Creation

Argentorati : Literis Johannis Pastorii, 1704.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ghnrfab5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. D. 32
DISSERTATIO MEDICA

De

LVMBAGINE RHEUMATICA

Quam

Annuente Archiatro summo

S V B P RÆS I D I O

V I R I

Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi

Dⁿ. JOHANNIS VALENTINI
SCHEIDII,

Med. Doct. hujusque in celebri Argentoratensium
Vniversitate Prof. Primarij Celeberrimi &
Architri Dignissimi

Patroni & Præceptoris summe colendi

SOLENNI Philiatrorum examini
subjicit

GEORGIVS PHILIPPVS NENTER,
Gelnhusanus Author.

Ad d. Mens. Junij M DCC IV.
horis locoq; solitis.

ARGENTORATI, Literis JOHANNIS PASTORII.

TELESTRI
Liberalissimi Legati
SCHENCKBECHERIANI
DIRIBITORVM
COLLEGIO

VIRIS
NOBILITATE GENERIS, SPLENDORE MV-
NERVM, CONSILIORVM PRVDENTIA, REVERENDA DI-
GNITATE, DEXTERIMO RERVM GERENDARVM VSV
ET SCIENTIA, MAGNITV DINE MERITORVM IN
REMPVBLICAM, ECCLESIAM, SCHOLAM
MAXIME CONSPICVIS


DNN. Patronis & Mæcenatibus
Maximis, Venerandis

Dissertationem hanc consecrat & se
suaque studia commendat

TANTORVM NOMINV M


devotissimus Cultor

Georgius Philippus Nenter,
Gelnh.



C. D.

§. I.



Um nomina sint rerum notæ & declarationes , quibus evolutis ipsarum essentia melius cognoscitur , non incongruum erit nominis explicationem præmittere. Dicitur itaque affectus noster Græcis à parte affectâ sive subjecto ὥσθια , ab ὥσθιος lumbus & ἔλγε dolor : Latinis autem Lumbago , quod analogâ etymologiâ idem est ac circa lumbos ago sive ægroto , hinc etiam ij qui circa lumbos debiles sunt , clumbes & clumbati dicuntur . Rheumatica audit à causa ἡπάτη πλευρᾶ , fluxione , quod in hoc morbo materia acris ad lumbos destillata morbi causa existat . Ut itaque vi vocis dolorem lumborum à catharrho sive defluxione oriundam denotet . Sennertus Prax. L. 3. P. 5. f. 2. c. 4. affectum hunc Græco nomine ἀόρδωσιν vocat , quod ægri non recti sed curvi incedere cogantur . Hæc tamen ἀόρδωσις non confundenda est cum illâ quæ à luxatione vertebratum contingit . Germani in lingua suâ exprimunt , den Lendenschmerzen / das Lendenwehe .

§. II.

Ut magis innoteat affectus natura, notetur: quod sit tristis sensatio lumborum à membranarum tensione, vel lillatione & quasi erosione dependens. Commune dolorum genus hic retinere maluimus, cum commode satis affectus naturam exprimat, præter enim molestum illum sensum, quâ lumbi à materia heterogeneâ afficiuntur, tristitiam simul quandam indigit, quæ in animo relinquitur: per animum in homine intelligendo spiritus cum mente conjunctim sumptos; sine mentis enim attentione nullus in homine dolor accidere potest, quod unusquisque facile concedet, si modo consideret, dormientes vel aliis rebus maximè intentos nullum sentire dolorem, spiritibus scilicet in illis aut deficientibus vel irretitis, aut in his alio in loco occupatis, & hinc doloris speciem menti offerri nequire: in brutis autem, cum nullum præter spiritus in eorum machina animali principium movens detur, hos animi nomine indigitamus: hæc tamen brutorum tristitia vera non est, sed tantum in motu illo spirituum ab externis ad interiora, qui etiam in homine contingit, consistit. Membranarum nomine hic veniunt tam musculos cingentes, quam eos cum vertebbris lumbaribus connectentes, ut & articulos & ligamenta cingentes, non excluso vertebrarum periosteo.

§. III.

Lumbago autem hæc se manifestat, quando prægresso plerumque horrore posterius ad latera spinæ dorsi sub hypochondrio tam dextro quam sinistro, rarius utroque simul in lumborum regione dolor gravatus & ponderis aliquujus sensum præbens oritur, nonnunquam verò malo aucto dolor divellens, dilacerans, pungens acerbissimusque cruciatus cum pulsationibus in lumbis, simul etiam dolor ὄσκοπος, profundus in ipsa spina dorsi sentitur, per intervalla, ut alii affectus

57

affectus arthritici repetens. Vid. Plater. Prax. p. 472. Unde ægris admodum dolorifica est erecta corporis statura, ita ut curvi incedere cogantur: imò vix progredi & de loco movere se possunt, in lecto verò jacentibus idem corporis situs perpetuo fere tenendus, nec nisi insigni cum molestia mutare eum licet. Decumbentibus in lecto nonnunquam sudor acidum odorem spirans supervenit, unde paroxysmus, si non cessat, levior tamen redditur.

§. IV.

Ast non unâ hâc doloris specie, sed variis à variis causis oriundis doloribus lumbi afficiuntur, à quibus tamen probe discernendus est affectus noster; & quidem 1. ab omnibus iis, quorum Bonetus in Sepulchret. ex aliis Observationum scriptoribus meminit, quando scilicet dolor lumborum est à rene putri, à pancreatis abscessu, ob lapides in arteriis lumbaribus, ob scirhum ilei intestini. Item ab illâ specie, cuius Sylv. Prax. I. I. cap. 14. §. 3. meminit, quando pars intestini tenuis lumbis superstrata dolores patitur, hincque per consensum lumbos laborare cogit. 2. à colica tam subjecto quod est colon, quam doloris specie, qui in colica per totum illum quo intestinum tendit tractum, modò flatibus distendendo, modò materia acri vellicando, multasque abdominis partes tum ratione continuitatis tum contiguitatis & connexio- nis nervorum in consensum trahendo, torquet; lumbaginis autem dolor lacerans, vellicans vel qualiscunque ille fuerit, fixus magis in lumbis deprehenditur. 3. à Nephritide & calculo renum, quatenus in hoc plerumque stupor vel torpor femoris affecti lateris, ardor urinæ & stranguria, mictus quoque nonnunquam cruentus, ischuria, vomitus aliaque symptomata admodum molesta sunt conjuncta: in illâ verò febris & intensissimus dolor affligit, quæ omnia in affectu nostro excepto dolore observare non licet. 4. A dolore Anchæ & malo ischiadicō distinguitur loco affecto. Ancha autem Seculorum Barbarorum Medicis erat enarthrosis illa magna, quâ

globosum femoris caput cum coxendicis acetabulo conjungitur: quo cum Italorum *Anca* & Gallorum *Hanche* coincidunt. Cum autem dolorem hujus articuli modo fixum modo latius se diffundentem observarent, distinguebant inter Anchæ dolorem & malum ischiadicum, quod tum temporis corruptâ voce Sciaticam appellabant, nam juxta Matthiæ Tyberini, qui duobus abhinc seculis claruit, Tractatum MScptum de possibili juncturarum curatione, ab Excell. Dno Præside mihi communicatum, dolor Anchæ dicitur: quando dolor est in junctura Anchæ & ultra ipsam se non extendit: *Sciatica autem cum dolor ultra juncturam diffunditur per lacertum latum retrò per coxam.* Ex hisce itaque allatis cum clarum sit doloris Anchæ & Ischiadici subjectum esse articulationem femoris cum coxendice, facile patet lumbaginem ab iis differre, quod lumbos eorumq; partes maximè sensiles, muscularum scilicet membranas & vertebrarum articulationes sedem sibi elegerit.

§. V.

Pars itaque affecta sive subjectum sent Lumbi, qui sunt pars mollis, abdominis posterioris, initium habentes eo in loco, ubi prima lumborum vertebra cum ultima dorsali articulatur & terminantur in osse sacro. Basin eorum quinque vertebræ lumbares magnitudine reliquas superantes constituunt, quæ sibi invicem ligamentis annexuntur atque intercedente glutinosâ cartilagine simul inter se & cum ultimâ thoracis vertebrâ ac osse sacro articulantur, earum tamen connexio est laxior, quo corpus facilius inflecti queat. Intus in earum cavitate continetur spinalis medulla, quæ circa ultimam vertebram in plurima filamenta instar caudæ equinæ arte Anatomica dividi potest, & ex quâlibet vertebrâ per foramina iis insculpta nervorum par emittit, perque eadem arterias, sanguinem pro Spirituum animalium elaboratione medullæq; nutritione advehentes, accipit, venisque sanguinem particulis laudabilioribus orbum ad venam cavam revehentibus extum

tum præbet. Vertebrarum parti exteriori utrinque ad spinam dorsi varii musculi superstrati sunt, dorsi sc. longissimus, semispinatus, sacer, quadratus, sacrolumbus; ut & earum lateribus tendinibus suis transversales & oblique ascendentes abdominis alligantur: internam earum partem musculi psoas sive lumbares occupant, quo referendum est diaphragma, quod caudice suo tertiaz vel quartaz lumborum vertebræ annectitur. Quæ partes omnes exterius integumentis corporis communibus teguntur. Partes autem lumbis proximè adjacentes eosque facile in consensum trahentes sunt peritonæum & mesenterium lumbis annexa, pars coli intestini, renes, venæ cavæ & arteriæ magnæ trunci præter labentes, qui in hâc regione in ramos iliacos dividuntur, venæ item hæmorrhoidales & vasa spermatica, quæ in progressu suo ramulos lumbis impertinent: in mulieribus testiculi, qui quam proximi lumbis sunt. Denique iis etiam adhæret receptaculum chyli, idèò lumbare dictum, in quod præter vasa laetæa plurima lumborum lymphatica terminantur.

§. VI.

Nulla tamen harum partium lumborum integrantium afficitur in nostro casu præter muscularum & vertebrarum membranas, sensu exquisitissimo pollentes, quia ex plurimis fibris sive filamentis nerveis cruciatim contextis constant, fibrillæ autem hæ, ut omnibus est notum genuinum tactus & reliquorum sensuum omnium sunt organum; in cute enim & lingua in tenuissimas papillulas terminantes, ab objectis tangilibus & gustabilibus afficiuntur, in naribus autem auribus & oculis membranarum & tunicarum texturam induentes, organis hisce convenientium objectorum affectionem sustinent, & sic in hisce partibus genuina sensuum organa constituunt. Quamvis autem in aliis quoque membris & præcipue in articulis membranæ hæ sint admodum sensiles, exquisitoque sensu gaudeant, sensus tamen hic verus & perfectus dici nequit, quoniam species non prout in aliis sensuum organis

organis à se invicem discernuntur, nam dolent potius & ægrè afficiuntur à materia heterogeneæ contactu, & quidem modò sub auræ frigidæ, modo sub ferri aut carbonis igniti idea. Vid. Bohn. Circ. pag. 359. Subjectum itaque speciale sunt dictæ membranæ, afficiunturque per *πόνασθαι*, quia materia acris ceu causa morbifica in iis impacta hæret.

§. VII.

Causa sensus hujus lumborum molesti sive doloris supra §. 2. allegata est tensio, vellicatio & quasi erosio membranarum, musculos involventium atque distinguendum, ut & ligamentorum articulos jungentium. Hanc autem tensionem dolorificam excitat catarrhus sive materia tartarea, biliosa, acida. Nolo me hic implicare illi Veterum quæstioni de catarrhi & rheumatis differentia, sufficiat scire, à Recentioribus indifferenter hæcce vocabula usurpari, perque ea intelligi præter naturalem à sero plus minus vitiato factam alterationem & functionum læsionem: sive depositionem humoris alicujus actioris in quandam partem. Hancce seri acrimoniam & depositionem quoque in lumbagine contingere, varia sunt quæ probant, dolor inpr. ille lacerans, lancinans, rodens, continuusque velut excoriationis sensus: Seri aciditatem porrò confirmant juvantia, quatenus omnia acidum destruentia lumbagini medentur. Inpr. autem liquor iste Synovia, das Gliedwasser/ qui in omnibus articulis reperitur, commodiori articulorum motui inserviens, accusandus venit, qui depositâ dulci unctuositate acido copioso scatens & plus minus coagulatus, membranas, quibus vertebrarum articulationes & ligamenta cinguntur arrodit, unde etiam dolor ille in dorso profundus, ὀσκόπος, & movendi impotentia. Hunc liquorem simul in causa esse, patet ex reliquis arthritidis speciebus, quando sc. in podagra & Chiragra nodi in articulis generantur, qui nihil aliud sunt, quam humor iste coagulatus. Præterea gressus minus firmus stridorq; articulorum in scorbuticis tenerioribus nullam aliam causam, quam Synoviæ istius coagulationem in offam quasi crassiorem, agnoscit.

§. VIII.

§. VIII.

Cum autem ad quamvis defluxionem juxta Pathologos pars Mandans & Recipiens sive locus à quo & ad quem requirantur, dicendum etiam quænam hæ sint. Partis Mandantis nomen variis quidem infimi ventris visceribus tribui potest, dum modo *υσκρασία* Ventriculi, modo Pancreatis & Hepatis mala constitutio, indeq; dependens succi pancreatici, bilis & lymphæ mala secretio, modo Mesenterij glandularum, modo Renum vitium, modo quædam horum viscerum conjunctim accusari possunt. Ast cum Massa sanguinea vitiosa omniumque viscerum labes primariò ex mala Ventriculi digestione originem trahant, huic partis mandantis nomen primariò competit; Secundariò tamen etiam aliis visceribus in primis cordi vitium hoc tribui potest: Massa sanguinea autem tum materiam morbificam tum vehiculum præbet. Recipientis nomen lumbis materiam morbificam recipientibus & in se foventibus convenit.

§. IX.

Viæ, per quas humor hic acris lumbis communicatur, sunt arteriæ lumbares, dum enim per cordis motum contractorium sive systolen sanguis è sinistro ventriculo in arteriam magnam & ex hac per lumbares arterias ad lumbos pro nutritione protruditur, necessario tandem, si fieri debet nutritio, ex arteriarum porulis elabitur, ubi simul cum particulis nutritiis materiæ acidæ portio membranarum porulis se insinuans ratione particularum suarum firmiter adhæret, quam adhæsionem continuus sanguinis arteriosi affluxus & pressio à tergo promovet. Quod Synoviam in articulis peccantem attinet, separatur illa potissimum per glandulas mucilaginosas à Cloptone Havers in Osteolog. descriptas, quas Mucilaginosas appellat. Sitæ sunt in membranis illis quæ vertebrarum articulationes tegunt, continuâque articulorum

pressione secretus ab iis liquor in articulum effunditur. Non tamen excludendi sunt peculiares isti ductus ex cavitatibus ossium provenientes, per quos liquor unctuosus è medulla ossium oriundus, ad articulos depositus, & cum glandularum Mucilaginosarum liquore conjunctus Synoviam constituit. vid. Havers Ostel. p. 219. & seqq.

§. X.

Quare autem materiae hujus acris depositio non in omnibus partibus, sed præcipue in lumbis contingat, non imerito quaeritur. Necessariò hic supponi debet lumborum debilitas vel talis dispositio, quâ magis apti sunt ad recipientum hunc vitiosum humorem vel viribus destituuntur ad eum abigendum. Hæc autem variis ex causis oriri potest & quidem vel à dispositione hæreditaria, quando alteruter parentum hocce vel alio arthritico affectu laborârunt: quale enim semen parentum & quales spiritus illud actuantes, talem etiam dispositionem prima fœtus rudimenta in utero sortiuntur. Vel talis debilitas contrahitur ab iactu vel plagâ fortiori lumbis inflictâ, vel à vulnere, ulcere, frigore madore, nimiâ equitatione, incurvatione, calculo, coitu nimio, huncque non raro in sequente Gonorrhea virulenta, Lue Venerea, hujusque medicatione Salivatione non dextrè adhibitâ: à quibus omnibus lumbi maximè debilitari queunt.

§. XI.

Sanguinis acrimoniæ comparandæ varia auxiliates præstant manus & quidem 1. Aer pluviosus, nebulosus, partim inspiratus sanguinem notabiliter turbans, partim poros constringendo, insensibilemque transpirationem prohibendo recrementa in sanguine cumulans. 2. Cibus & Potus, quando sc. variis generis cibi, acidi inpr. & salsi, aliquæ concoctu difficiliores ultra modum ingeruntur, Ventriculi lympha subacidula & salsa ciborum horum salia fortiora aciditatemq; excessivam

cessivam minimè ut par est dissolvere & subigere potest , sed magnam partem indigestam relinquit , cuius pars Ventriculi rugis se insinuans , ibique sub vitiosæ & viscidæ mucilaginis formâ hærens , omnes denuò ingestos cibos inquinat , suique naturam visciditatem scilicet & aciditatem imprimit. Chylo itaque huic crudiori pylorum egresso , perque intestina progrediente succus quidem pancreaticus & bilis permiscentur , ast cum chylo in Ventriculo semel impressa vestigia non facile deleantur , parum quidem alterationis suscipit , acidam tamen suam naturam prorsus non exuit , sed per vasa lactea intestinalium motu peristaltico ad mesenterii glandulas protrusus , primos texturæ suæ convenientes effectus edit , glandularum sc. poros quosdam obstruendo , quosdam invertendo , ut postea ejusdem naturæ chylum facilius admittant. Sanguini deniq; infusus minimè in totum alteratur , sed potius spicula ejus ad tempus occultantur , donec ob malam Ventriculi digestionem continuo vitioso chylo affluente majus robur acquirat , variisq; visceribus & partibus , ad quas tam pro nutritione quam variorum liquorum separatione vehitur , labem suam affricet. Hinc variæ viscerum obstrukciones , in primis glandularum , hinc male dispositis harum poris vitiosæ humorum secretiones , hinc male digestiones , & dum hoc semper in circulum redit , Ventriculi tandem lymphæ digestrici in fermentum mutatæ , ut & Massæ sanguineæ & visceribus talis character imprimitur , ut nullo ferè modo neque vitiosa Ventriculi digestio corrigi , nec reliqua lympha ad pristinum statum reduci queat. Symbolum suum addit potus nimius in primis vini meracioris , quando sc. vinum plenis poculis in aliorum sanitatem exhaustur poculisque certatur , undè non solum Ventriculi tonus maximè debilitatur , sed etiam cum vini sulphure deperditis particulis sanguinis volatilioribus , acidum vini in Massa Sanguineâ torpidiori remanens notabilem efficit aciditatem. 3. Motus quoque excessivus & quies nimia magnum momentum conferunt , dum per illum fortiore , equitationes sc. & saltationes vehementiores , aliaque ejusdem generis exercitia validiora , sanguis particulis oleosis volatilibus privatur , re-

licitis salinis, terrestribus, crassioribus, ad motum ineptioribus, morbisque Tartareis dictis causam præbentibus. In hâc verò humores debito motu destituti quasi vappescunt, spiritus torpescunt & calor nativus obtunditur, undè varii humores viscidi, acidi aliique in corpore cumulantur. Hoc in paſtu maximè peccant ii, qui continuo noctes atque dies libris quasi affixi hærent. 4. Pari modo accusare licet ſomnum & vigilias, utraque enim juxta Hipp. 2. aph. 3. modum excedentia nocent. Dum in illo excretiones & evacuationes alias fieri folitæ retardantur & ſupprimuntur, nec humorum distributiones rite perficiuntur, undè hinc inde tardius moti & non raro stagnantes humorum vappescentiæ anſam dant: in his autem propter spiritus in continuo motu existentes, humores æſtum concipiunt, ſanguis quasi inflammatur & ſic acrimoniam concipit; dum verò spiritus nimis diſſipantur, coctiones hinc turbantur & cruditates multæ coacervantur. 5. His annumerari debent Excreta & Retenta: quando ſc. excernenda p. n. in corpore retinentur & ſupprimuntur, aut retinenda nimium & immoderatè excernuntur: quo in primis ſpectat Veneris frequentior uſus, quo corpus mirum in modum debilitatur, adeò ut Medici unicam ſeminis guttulam emifſam corpori magis obeffe, quam viginti ſanguinis quām veriſimile pronuntiare ſoleant; præcipue autem ad Lumbaginem confert nimia Venus, undè qui crebrius eam exercent, elumbes quaſi ſunt, adeò ut tabes dorsalis non raro preſſo pede nimium ejus uſum ſequatur. 6. Ex animi pathematibus huc faciunt terror, tristitia & ira: quatenus in illo spiritus ab extēnis partibus ad cor revocantur, undè vires resolvuntur cum extēmorū refrigeratione, imò interdum calor ita ſubitō ſuffocatur, ut quosdam ex ſubitaneo metu illico extinctos experientia teſtetur: in iſtâ spiritus pedetentim abſumuntur, coctiones debilitantur, variisque malis porta panditū: in hâc vero omnium affectuum vehementiſſimo spiritus magno cum impetu moti in toto ferè corpore effervescentiam quaſi quādam & humorum ebullitionem excitant, undè maximi etiam ſunt iræ effectus, febres ſc. artuum tremor, cordis palpitationes,

nes, convulsiones, apoplexia &c. imo observatum est quos-dam ira ita excanduisse, ut non tantum facie spirârint ignem, sed & sanguinem ex ore & naribus emiserint. Præprimis autem nostro in affectu maximè noxia ira est, inordinato enim suo motu per longum sèpè temporis spatium materiam latenter silentemque excitat & paroxysmos de novo inducit.

§. XII.

Ex hæc tenus dictis satis superque patebit, affectum hunc non quidem lethalem esse, esse tamen ex eorum genere, qui ægrè & forsan non omnino funditus eradicari atq; è corpore eliminari queunt, ut nunquam postea redeat, præsertim si malum jam diu duravit & quasi inveteratum aut hæreditarium est, ut alteruter vel uterque parentum hoc morbo laboraverit. Maximè tamen periculosus evadere potest, si humor fit nimis acris; nam exinde tabes dorsalis ægrum lentâ morte enecans oriri potest, aut si naturâ debilitatâ humor acris ad lumbos protrudi solitus per Mænisan, ad partes nobiles deponitur. Non raro etiam accidit, ut affectus degeneret in malum ischiadicum, causâ ad alterutram coxam destillante.

§. XIII.

Cum autem non sufficiat morbum cognovisse, sed etiam curasse, affectus explicationi curationem subnectimus, in quâ ad tria respiciendum est 1. ut humor peccans è corpore educatur. 2. ut sanguinis intemperies adeòq; ipsius humoris acrimonia corrigatur. 3. ut pars affecta corroboretur. Hisce indicationibus inserviunt 1. Purgantia, pro corporis necessitate humorumque abundantia unâ vel alterâ vice assumenta, medicamentis pro ratione subjecti mitioribus & vehementioribus: mitiora tamen meritò fortioribus præferuntur, & si non uno iectu satisfecerunt, iteratis vicibus exhibentur. Quapropter vel per potiunculam laxantem ex sirupis & electuariis paratam v.g. ex Sir. de pom. laxat. de cich. c. rbab.

rosar. solut. diacyd. luc. jalap &c. Vel per infusum ex fol. senn.
 f. f. c. rhabarb. confectum, additâ ȝj. vel ȝjs. mann. calabr.
 Vel per pilulas v. g. antipodagr. arthrit. aureas, &c. 2.
 Post purgationem decentem vena in corpore præprimis ple-
 thorico vel in brachio vel in pede secari potest, & quidem
 semel aut bis. 3. Huc pertinet brodium herbaceum *ex na-*
sturt. aquat. hortens. beccabung. chelid. min. cochlear. fumar.
nummular. aliisque hujus generis antiscorbuticis. 4. His præ-
 missis utramque absolvunt paginam thermæ naturales. Plum-
 bariæ vulgò dictæ cæteris præferuntur plures ob causas, præ-
 cipuè quod usum tam internum quam externum admittant,
 atque ob intimam mineralium inpr. spirituorum mixturam
 admodum penetrantes sint. Si verò balneis naturalibus uti
 non licet, artificialia adhiberi possunt ex aquâ fluviali, cum
 herbis & rad. emoll. & nervos roborantibus. v. gr. *Rad. lil.*
alb. malv. Herb. mercur. parietar. malv. hyosc. chamedr. cha-
mæp. rosmar. salv. serpill. major. Flor. chamom. R. & f. melil. ver-
basc. prim. ver. &c. Balneo hoc bis utendum erit in die
 mane ac vesperi, ita quidem ut æger per dimidiā circi-
 ter horam corpore aquæ calenti se immergit, & sacculo her-
 bis istis repleto insideat. Exiturus è balneo probè linteis ca-
 lentibus detergatur, seseque ad lectum denuò componat, ne
 frigori expositus doloribus colicis aut etiam febri ansam præ-
 beat. Quod si sudore rursus corpus madere in lecto contin-
 gagat, iterum linteis calefactis abstergendum erit, hicque bal-
 nèi usus per integrum mensem continuandus, id tamen ob-
 servandum, vespertinum balneum dimidium tantum moræ,
 quam matutinum exigere. 5. Alterationi Massæ sanguineæ
 maximè inserviunt Acidulæ, sunt enim saporis penetrantis,
 incisivi, egregieque diureticæ, ratione ♂tis vim habent salia
 peregrina acida, austera nociva corrigendi, inque primis viis
 stabulantia absorbendi: porro penetrant maximè, omnes mea-
 tus referant, abstergent, corpusque universum purificant.
 In usu earum gradatim ascendatur & fiat progressus à parva
 dosi ad medium & tandem ad maximam. 6. Huc quoque fa-
 ciunt absorbentia omniaque acidum destruentia v. gr. *conch.*

ppt. lap. & ppt. Succin. alb. ppt. perl. ppt. Cinnab. nat. & & Croc. & tis aper. bez. & tial. dent. hippop. &. diaph. matr. perl. ppt. corall. alb. ppt. Eſſ. lign. Tinctur. tartar. Tinctur. & tis aperit. Tinctur. & Spir. cochlear. Spir. aperit. item decocta ex herbis antiscorbuticis, nervinis, aliisque sanguinem depurantibus. 7. Ad externa referenda sunt Mixturæ variæ, concinnatæ ex spir. formic. Spir. lumbr. volat. Spir. C. C. Spir. Sal Armon. Spir. theriac. camph. &c. Sacculi item paregorici & Emplastra e. g. diaph. Mynſ. Santal. oxycroc. de ran Vigo. c. & io.

§. XIV.

Cæterum cum in omni cura maximum momentum habeat diæta, ejus quoque exacta habeatur ratio. Aërem itaq; eligant ægri serenum & purum, nam aëre fereno ægri haud facile paroxysmum incurunt, quoniam materia facilius per intensibilem transpirationem dissipatur, frigidus è contra humidus & ventis turbidus ob rationes supra allegatas vitetur. Cibi sint boni & laudabilis succi, carnes sc. vitulinæ, pulli gallinacei & columbini: abstineant è contra carnibus bubulis, vervecinis, suillis, aliisque quæ pravi succi dicuntur; sylvestrium quoque animalium carnes & quæ vel sale vel muria conditæ sunt aut fumo induratæ, acida quoque & acria edulia, item pisces omni studio vitentur. Panis sit triticeus, benè coctus, nec nimis fermentatus. Quibus Ventriculus est debilis, potus vini non admodum meraci concedi potest v. gr. Vinum Mosellanum & Rhenanum, quæ diureticâ vi reliqua vina superant, vitetur autem rubrum & stipticum. Consuetis quoque non interdicendum est vino, modo illud vel aquâ simplici, vel decocto ex hordeo & glycyrrhizâ probè temperent. Alias si sitis quædam vel durante balneo, vel tempore, quod prandium inter & cœnam est, vel etiam cum à cœna cubitum itur, oboriretur, decocto quodam ex radic. herb. & fructibus utendum erit. v. g. Rad. liquirit. sassap. onon. gramin. acetos. L. Aloës sassafr. sanct. Herb. acetos. chamædr. chamæp. roſmar. hord. integr. cariс. pingu. dactyl. jujub.

jujub. &c. Somnus, Vigiliæ, Motus & Quies modum non excedant. Excreta & Retenta sint naturaliter constituta, si minus talia, arte procuranda. Quod Animi denique Pathemata attinet, metum, terrorem & maximè iram cane & angue pejus fugiant. Animus è contra sit hilaris gaudioq; perfusus.

Hisce omnibus ritè observatis nullum est dubium, quin ægri si non omnimodè curentur, maximum tamen levamen sentiant.



